



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XIII. De Primo Decalogi Præcepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Dei semel tantum in vita eliceret; condemnare non audeamus. Item Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinqueennis per se obligare Præceptum Charitatis erga Deum. Item Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus. De iisdem damnatis Propositionibus latè agit Cardenas in *Crisi Dissert.* 6.

5. *Quer.* Quot sint peccata contra charitatem Dei? *Resp.* Esse duo. Unum omnium maximum, id est, *Odium Dei*; ad quod aliquando impii descendunt, cogitantes Dei Iustitiam punitivam culparum. Alterum est *Acedia*, videlicet quoddam tædium, & tristitia de bono spirituali, puta per susceptionem Sacramentorum, & alia bona opera; quod opponitur charitati, cuius proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. Abelly in *Medulla Theol. part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3. ad finem.*

6. *Quer.* An peccet mortaliter contra charitatem, qui cuperet semper vivere in hoc mundo, & remanere in hac vita? *Resp.* Affirmativè, si præferret delicias huius sæculi visioni, & fruitioni divinæ. Bonacin. in *prim. Decal. Præcept. disp. 3. q. 4. punct. 1. in fine.* Denegativè, si cuperet in hac vita semper remanere ob timorem Iudicii, & incertitudinem æternæ salutis. Castropal. & Sanch. quos citat, & sequitur Tambur. in *Decal. d. lib. 2. cap. 3. §. 1. num. 3.*

7. *Quer.* An in hac vita homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologica, se habere charitatem Dei, & esse in gratia? *Resp.* Negativè, nisi ex peculiari revelatione; quia ut habetur Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit.* Et Apostolus 1. Cor. 4. de se dicit: *Neque meipsum iudico; nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est,* quæ verba explicat S. Bernar. *Serm. 23. in Cant.* dicens, quod Apostolus intelligebat de puritate suæ conscientiæ, seu de incertitudine suæ charitatis; & hoc decisum est à Concilio Trid. sess. 6. cap. 9. Deus enim id suæ divinæ providentiæ reservat; ne homo, si sciret, se habere charitatem, negligens evadat in bonis operibus; ideòque in hac vita haberi non potest alia certitudo, quam moralis, ut eruditè disputat, & probat novissimè Gonet. in *Clypeo Theologia tom. 4. de Gratia disp. 5. art. 1. & 2. pag. 126. & seqq.* & Collegium Salmanticense. in *Cursu Theolog. tom. 6. tract. 14. de Gratia disp. 9. per totam.*

8. *Quer.* Quæ sint signa moralis certitudinis, quòd homo sit in gratia, & habeat Dei charitatem? *Resp.* S. Bernardus *Ser. 1. & 2. in festo Paschæ super verbis 1. Jo. 5.* Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, ponere tria signa, dicendo: *Testimonia gratiæ sunt hæc tria; In operibus spiritualibus exerceri; lacrymarum fonte sordes peccatorum abluere; & sanguinolento penitentia martyrio pravas affectiones perimere.* S. Thom. 1. 2. quest. 112. art. 5. ponit tria signa, nempe delectationem rerum spiritualium; contemptum rerum mundanarum; & conscientiam absque notitia peccati mortalis. Sotus addit aliud signum, nempe, affectum, & aviditatem audiendi verbum Dei, juxta illud Jo.

8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ita Gonet ubi supra pag. 129. Tandem S. Franciscus Salesius in suo *Tractatu Amoris Dei part. 2. lib. 2. cap. 5.* ponit pro signo, si homo talem resolutionem in corde teneat, potius amittendi omnia, quàm Deum scienter offendere; exemplo S. Michaelis, qui exclamavit contra Angelos prævaricantes: *Quis ut Deus?* Et Josephi Patriarchæ, qui ab Hæra provocatus ad libidinem intulit: *Quomodo Deum meum offendam?*

CAPUT XIII.

De Primo Decalogi Præcepto. Unum cole Deum.

1. *Quer.* Quid in hoc Præcepto præcipiatur? *Resp.* Præcipi actus Religionis, quibus Deum optimum maximum colimus, & veneramur; & ad duas præcipuas Virtutes eos reduci, nempe ad *Adorationem*, & *Orationem*. Ulterius præcipi, ut abstineamus à peccatis Religioni oppositis; quæ sunt *Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, Vana Observantia, Maleficium, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia.*

CAPUT XIV.

De Adoratione.

1. *Quer.* Quid sit Adoratio? *Resp.* Esse Actum creatura rationalis, quo significat submisionem, & reverentiam ob excellentiam alicujus; unde Lot adoravit Angelos Gen. 29. & Betsabea Salomonem 3. Reg. 11. id est, submisionem, & reverentiam iisdem exhibuerunt. Porro strictè sumpta adoratio est Actus, quo quis proficitur cognoscere, & colere excellentiam Dei; in quo sensu Deut. 6. dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & Matth. 14. Magi procidentes adoraverunt puerum Jesum, & Jo. 19. Cæcus illuminatus procidens adoravit Christum.*

2. *Quer.* Quotplex sit Adoratio? *Resp.* Est Triplex. *Latriæ, Hiperdulia, & Dulia.* Per primam adoratur Deus. Per secundam Deipara Virgo. Per tertiam Sancti. Est tamen sciendum, quòd per Latriam dupliciter adoramus Deum; primò per se, & ratione sui; & sic adoratur Sancta Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundò per conjunctionem ad Deum; & hoc modo per Latriam adoratur Humanitas Christi, ejus Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis; quia licet ex se non mereantur talem adorationem; tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsum, eadem adoratione Latriæ adorantur. Similiter Reliquiæ B. Virginis Mariæ adorantur *Hiperdulia*; & Reliquiæ Sanctorum *Dulia* tantum ob relationem respectivè ad Deiparam, & ad ipsos Sanctos. S. Thom. 3. p. 2. q. 25. & Tamburin. in *Decal. lib. 2. cap. 4. §. 1. Mastrius in Theolog. Morali disp. 11. num. 18. & seqq.*

3. *Quer.*